



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio CXXII. Argumentum. Disseritur, quibus rationibus retrahendi sint per Confessarios filii familias, ac famuli à furtis domesticis, & à dissipatione rerum suæ domus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

Vestis cuiusdam foeminae, ut legitur apud Epi-
scopum Aresium Imper. 186. num. 16. Et Ma-
rius Mutius in *Vitis SS. Bergom.* narrat, mulie-
rem se ornantem in speculo intuitam quatuor
horribiles spiritus eam eludentes. In libro *Scala*
Cæli, vidit pius homo rete magnum, impediens
animabus ingressum in cœlum, illudque orna-
tum mulierum esse audivit. Et apud Joan.
Bapt. Matthiol. in *Sylva Hist. part. 2. lib. 2.*
cap. 1. tit. 2. leguntur exempla plurima Divinae
Vindictæ contra mulieres, huiusmodi vanis
ornatibus propensas; quorum recitatione ac
aliorum penes Ecclesiasticos Autores existentium,
facillimum erit Parochis, ac animarum
Rectoribus, mulieres ipsas retrahere ab immo-
destis vestimentis.

In Revelationibus S. Birgittæ lib. 9. cap. 15.
refertur iudicium animæ mulieris tunc defunctæ
coram Deo, ubi legebantur peccata illius, &
inter alia ita de se confitebatur Anima illa: *Va-
na, & superba portamenta ego de novo adveni per-
sonaliter, quadam verò sequebar, secundum Patriæ
consuetudinem.* Cui ex parte Iudicis responsum
fuit: *Iuris diaboli est retribuere tibi pro meritis,
quia te ornasti, & composuisti, sicut ipse tibi inspi-
rabat, & distabat.*

DECISIO CXXI.

ARGUMENTUM.

Demonstrat hæc Decisio, quot rationibus Pa-
rochus timere non debeat incommoda? Sed
eum oporteat incessanter laborare in mini-
sterio suo, procurando spiritualia bona, ac
Salutem animarum sibi creditarum?

SUMMARIUM.

1. Parochi Etymologia.
2. Parochi officium prædicare Verbum Dei.
3. Decreta obligantia Parochos ad prædicationem.
4. Ars artium Cura Animarum.
5. Duces exercituum vigiles.
6. Parochi sunt plebis suæ Medici, Advocati, & Iudices.
7. Vincentii Caraffa Præpositi Generalis Soc. Jesu dictum.
8. Exempla Sanctorum circa salutem animarum.
9. Parochorum desiderium periculum.
10. Ferventium remuneratio.

Plurimæ, &que perpulchræ fuerunt adductæ
rationes, quarum præcipuè sunt decem.

1. Prima ob Etymologiam Vocabuli: nam Pa-
rochus idem est, ac Distributor, quia semper para-
tus esse debet, distribuere plebi suæ Sacramen-
ta, ac Verbum Dei. Hierolexicon Magrii Verb.
Parochus.

2. Secunda ob Divinum præceptum, quo habentes
animarum curam tenentur pascere oves suas
Verbi Dei prædicatione. Joan. 21. 18. ibi:
Pasce oves meas. Et Act. 20. 28. ibi: *Attendite
vobis, & universo gregi.* Et habetur in cap. Ephe-
s. 43. dist. & in Concil. Trident. de Reform.
sess. 23. cap. 1. & notat Fagnan. in cap. Inter
cetera num. 7. de Offic. Ordinari.

3. Tertia ob Præceptum Ecclesiæ, quæ pluries
decrevit Parochos prædicare debere, cap. Quod
Dei timorem, de Statu Monachor. Clem. Dudum.
5. Huiusmodi De Sepultur. Glossa in Clem. 1. Verb.
Officia, De Regular. Concil. Trident. de Ref. sess.
5. cap. 2. & d. sess. 23. cap. 1. & sess. 24. cap. 4.
Doct. Clericati Tom. II. Lib. XI.

Quarta ob gravitatem officii, siquidem Cura
animarum est Ars artium, cap. Cum sit, 14. De
atate, & qualitat. ordinan. ad quam Christus
Dominus vocavit Piscatores, tanquam magnis
laboribus assuetos; ut quilibet Parochus sciat se
necessario esse debere laborantem, & sollicitum.
Barbol. de Offic. Paroch. cap. 3. num. 1.

Quinta ob Similitudinem. Rectores enim
animarum sunt Duces earum: At exercituum Du-
ces, dum milites dormiunt, vigilare debent,
exploratores audiendo, pericula præcavendo
& quæ expedire reperiunt ordinando, ut de
Duce Parma Farnesio in bello Gallico narrat
Caterin. Davila lib. XI.

Sexta ob Ministerium: Nam Parochi plebium
suarum sunt Medici, Advocati, ac Iudices:
ideò ut talia ministeria utiliter gerant, non fe-
riandum, non dormiendum, sed studendum,
orandum, ac laborandum est; prout testatus
est de se Apostolus dicens (Astor. dist. cap. 21.
num. 31.) *Quoniam per triennium nocte, & die
non cessavi, cum lachrymis monens unumquemque
vestrum.*

Septima ob excellentiam animarum, quas
acquisivit Deus sanguine suo, Act. 20. 28. Hinc P.
Vincentius Caraffa Septimus Præpositus Ge-
neralis Societ. JESU dicebat: *Per ben amare i
poveri al paragone de ricchi, si devono mirare le loro
anime addobbate del prezioso Scarlato del Sangue di
Gesum Christo.* P. Daniel. Bartoli in ejus vitalib. 2.
cap. 13.

Octava ob Exemplum tum Sanctorum Apo-
stolorum, Qui viventes in carne plantaverunt Ec-
clesiam sanguine suo, & Calicem Domini biberunt;
tum aliorum Sanctorum, de quibus scriptum
est, *Isti sunt, qui venerunt ex magna tribulatione;*
ac præcipuè Sancti Ignatii Loyolæ, qui indefes-
sus lucrandis Deo animis instabat; auditis aliquando
dicere, si optio daretur, malle, se beatitudinis incer-
tum vivere, & interim Deo inservire, & proximo-
rum salutis: quam certum ejusdem gloria statim mori.
Lect. 6. Brev. Rom.

Nona ob imminens periculum damnationis,
cum de Pastoribus negligentibus dixerit Domi-
nus: *Ece ego ipse super Pastores requiram gregem
meum de manu eorum.* Ezech. 34. 10. cap. Dispen-
satio 43. dist. omnino legendum.

Decima ob certitudinem cœlestis remunera-
tionis, juxta illud: *Venite ad me omnes, qui labo-
ratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Matth.
11. 28.

Ex quibus omnibus constat, laborandum esse
à Parochis, neque incommoda timenda, quia
in morte, (teste Divo Gregor. Hom. 9. in E-
vang.) Dominus benè operantes pro apportato lu-
cro remunerat; servum verò à bono opere torpentem
damnat.

DECISIO CXXII

ARGUMENTUM.

Disseritur, quibus rationibus retrahendi sint
per Confessarios filii familias, ac famuli à
furtis domesticis, & à dissipatione rerum suarum
domus?

SUMMARIUM.

1. Furta domestica filiorum, ac famulorum sunt peccata.
2. Fures à Deo maledicti, & à Regno cœlesti exclusi.

Aa 2

3. Fur-

3. Furta circa domestica Propositio damnata.
 4. Furta parva requirunt restitutionem.
 5. Fures ipso Jure infames, & irregulares.
 6. Furum pœna corporales.
 7. Furtivas res ementes quando de Jure Veneto perdant pretium?
 8. Furum punitorum exempla.
 9. Peculiorum genera quatuor.
 10. Patresfamilias de filiis, ac famulis Deo red-
dituri rationem.
 11. Furis à serpente in pedibus colligati exemplum.
- O**bservanda sunt motiva, & rationes, quæ sequuntur: videlicet.
1. Prima. Quod sæpe Parochi in publicis Sermonibus, & Confessariis in privatis exhortationibus filios familias, ac famulos moneant, eorum domestica furta esse peccata, & quidem mortalia, si in notabili quantitate, vel frequentia fiant. Bonacina de Restit. disp. 2. quæst. 10. punct. 1. num. 3. P. Cassianus à S. Elia in Theol. Mor. Expurg. Verb. Furtum 2. num. 125. Tamburin. Decal. lib. 8. tract. 2. cap. 3. num. 4. Et notat de hoc divinum Oraculum Prov. 28. 24. Qui subtrahit à Patre suo, vel à Matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidii est.
 2. Secunda. Ideo maledicti sunt à Deo Zach. 6. 3. Omnis fur, sicut scriptum est, judicabitur, & veniet ad domum furis maledictio.
 3. Tertia. Et à regno cœlesti exclusi 1. Cor. 6. 11. Neque fures, neque rapaces regnum Dei possidebunt.
 4. Quarta. Declarandam esse Propositionem inter damnatas à Sanctissimo Papa Nostro Innocentio XI. 37. idest ejus tenorem mentibus fidelium inculcandum, ut sciant, esse erroneam, ac scandalosam, & omnino vitandam Doctrinam illam, seu opinionem, quæ asserbat, quod famuli, & famula domestica possint occultè heris suis surripere, ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt. P. Cassian. à S. Elia in The. Mor. Expurg. Verb. Compensation. n. 1.
 5. Quinta. Quo circa neque sunt absolvendi, nisi faciant restitutionem: quæ etiam pro modicis furtis est semper imponenda juxta opinionem Lessii de Justit. & Jur. lib. 2. cap. 12. dub. 8. num. 50. quam refert etiam P. Cassianus. d. Verb. Furtum 2. num. 49.
 6. Sexta. Quod fures sint ipso Jure infames. L. 1. & ibi Glossa ff. de his, qui notant. infam. Cap. In infames, cap. Nos sequentes, 6. quæst. 1.
 7. Septima. Ac etiam Irregulares, cap. fin. de Furtis. Theaur. de Pœnis part. 2. Verb. Furtum, cap. 1.
 8. Octava. Terrendos esse pœnis corporalibus, quibus Tribunalia plectunt fures, videlicet fustigatione, ictu funis, exilio, triremibus, & suspendio in furcas. Chartar Criminal. Decis. 86. num. 11, 12, & 13.
 9. Nona. Increpandos illos, qui emunt res furtivas à filiisfamilias, vel famulis, & docendos, quod ex legibus Venetis sint punibiles, & cogendi ad earum restitutionem rerum, amisso pretio. Laur. Prior in Praxi Crim. Veneta sub tit. de Furto, pag. 175.
 10. Decima. Narrandas punitiones à Deo inflictas contra fures, quarum exempla plurima habentur in Sylva Historiali Jo. Bapt. Matthioli rom. 1. lib. 6. tit. 42. recula Venetis 1672. apud Balleonium.
 11. Undecima. Declarandas quatuor species Peculiorum nempe Castrense, Quasi Castrense, Adventitium, & Profectitium; & docendos filiosfamilias, in duobus ultimis usum esse Patris, ac proinde ex eis quidquam surripere non licere.

Az. part. 2. lib. 2. cap. 22. num. 23. Tamburin. in Decal. lib. 1. cap. 3. §. 7. & P. Cassian. dict. Verb. Furtum. 2. num. 120.

Duodecima. Incessanter obsecrandos, monendos, arguendosque Parentes, & Heros, ut educant filios, & famulos in timore Domini, invigilent super eorum moribus, retrahant eos à ludis à conversationibus, & sociis malæ vitæ, illosque frequentare faciant Sacramenta, Orationes, & Doctrinam Christianam, & omnino sciant Patres familias, ac Domini, se reddituros esse strictissimam rationem Deo de vitæ, educatione, ac actionibus filiorum, ac famulorum suorum, ut erudite probat Scripturis, & Autoritatibus Sanctorum P. Paulus Segneri Soc. Jesu in Concionib. suis Quadrages. Concione 25. ab omnibus Parochis, & confessariis omnino, & attentè legenda; tanquam utilissima, & ad hoc argumentum probandum aptissima.

Jucundum satis, sed ponderosum est exemplum, 11 quod narrat S. Gregorius Papa lib. 1. Dial. cap. 3. de quodam fure domestico Monasterii Judani, cujus hortum noctu explabat; quod cum advertisset Monachus horti custos, & vidisset in eo Serpentem, ait illi: In Nomine Jesu præcipio tibi, ut aditum istum custodias, ac furem huc ingredi non permittas. Noctē sequenti, advenientis furis serpens sic pedes, ac tibias colligavit. ut inde discedere non posset, & mane factō reverfus Monachus ad hortum vidit illum sic detentum, gratiasque agens Deo, justit serpenterem, ut illum furem à se leviter correptum dimitteret.

DECISIO CXXIII.

A R G U M E N T U M.

Exponuntur, quæ, & quot sint utilitates resultant, quando Parochus, præcipue in Villis, scholam aperit, & docet pueros suæ Parochiæ legere ac scribere?

S U M M A R I U M.

1. Docendi Pueri à Parochis, ut sciant saltem legere, & scribere ob utilitates decem.
2. Sapientia cur simulata Torrenti?
3. Monachi antiqui docebant pueros literas.
4. S. Ignatius Scholæ humaniorum literarum instituit.

R Primò, Parochus impensè amatur & diligetur à toto suo populo. Secundo. Honorantis saltem ac munusculis sæpe donatur. Tertio. Pueri illi edocti, scientesque legere, & scribere, utiliores sunt parentibus in gubernio rerum domesticarum, locationum, & computorum. Quarto, ac etiam Ecclesiæ suæ in regimine Confraternitatum Spiritualium. Quinto, ipsimet capiunt, & ediscunt Doctrinam Christianam, dum eam legunt. Sexto. Fiunt aptissimi ad illam aliis tradendam, explicandam, & insinuandam in Parochorum subsidium, ac levamen, unde creantur Magistri in Schola. Septimò, Domi suæ legunt libros spirituales, vitas Sanctorum, & exempla virtutum cum profectu audientium, quos retrahunt à detractionibus, & verbis otiosis. Octavò, In Ecclesia deservunt mirabiliter, in Choro ad cantandas Vesperas, & Missas, hisque inserviendum, præcipue in Officiis Defunctorum. Nonò, Parochi utiliter tempus insumunt, & evitant otium, quod adeò perniciosum est in Villis, potissimum æstivis diebus adeò prolixis. Decimò, Tandem opus dignissimum exercent, laudabile, & meritum, cum sit opus Misericordiæ Spiritualis; de quo Gerson. in libr. de Pu-
ris ad Christum trabendis, & rem gratam Eminenti. Præfati faciunt, à quo toto corde commendatur Parochis suis hoc charitatis exercitium.

Hinc